



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piae, ante hoc tempus excusae nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Feria II. Paschae

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

terpretatur. Quia ergo de corruptiōe ad incorruptionem, de mortalitate ad immortalitatem transfijt, recte in Galilæa uidendus dicitur: quia sicut ait

1. Pe. 3. apostolus Petrus, Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, ut nos offerret

2. Co. 13. deo. Et iterum: Si autem mortuus est ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute dei. ¶ Siue iuxta aliam intelligentiam Galilæa, quæ uolubitas siue rota interpretatur, gentilem populū significat. Cum ergo in Galilæa uidendus prædicitur, ostendit Iudæos propter perfidiam esse reliquendos, gentes autem per fidem colligendas, quæ ante dñi aduentum nescientes deū, in uolubilitate seculi morabatur. ¶ Siue aliter post resurrectionē in Galilæa uidendus nunciatur, quia illi ad speciem eius cōtemplandam puenire merebuntur, quæ modo transmigrant de uitijs ad uirtutes, de amore mundi ad amorem dei, declinantes a malo, & facientes bonum. Vnde bene Galilæa (iuxta aliam interpretationem) reuelatio dicitur: quia quod nunc uidemus in spe, tunc reuelata facie uidebimus in re. Vnde Apostolus ait: Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem. Et iterum: Nos autem fratres reuelata facie gloriam domini contemplant, transformamur a claritate in gloriam, tanquam a domini spiritu. Ad quam uisionem ille nos perducere dignetur, qui cum patre & spiritu sancto uiuit & regnat in secula seculorum, Amen.

FERIA SECUNDA PASCHÆ. Actuum X.

In diebus illis Stans Petrus in medio ple-

bis, dixit: Viri fratres, uos scitis quod factum est uerbum per uniuersam Iudæam. incipiens enim a Galilæa post baptismum quod prædicauit Iohannes, Iesum a Nazareth. Et reli.

B Reuiter omnia quæ in simbolo continentur, complexus est apostolus Petrus in lectione præfenti, quæ audistis fratres charissimi, quod Iesus sit Christus, quod omnium sit dominus. Stans enim in medio plebis, dixit: [Viri fratres, uos scitis quod factum est uerbum per uniuersam Iudæam, incipiens enim a Galilæa post baptismum quod prædicauit Iohannes, Iesum a Nazareth.] Torum hic pariter demonstratur, quod mundum deo reconciliare missus sit Christus, Iohannes uero est præconatus, quod spiritus sancto perunctus, quod deo inhabitante per miracula declaratus, quod crucifixus, & a mortuis suscitatus, & iudex sit omnium in fine uenturus, quod etiam ecclesiâ suam per fidem toto sit orbe illuminaturus. Denique subiungitur:

Quomodo unxit eum deus spiritus sancto & uirtute.] Unctus est ergo Iesus non oleo uisibili, sed dono gratiæ spiritualis, quæ omnia plenet continebat, quod uisibili significatur unguento. Quod baptizatus ungit ecclesiâ, dum per impositionem manus episcopi, spiritus septiformis inuocatur, in quâ similitudine super eum baptizatum spiritus sanctus in specie colubæ descendit, tunc & ecclesiâ suam figurare dignatus est, in quâ præcipue baptizati accipiunt spiritum sanctum. Tunc enim intelligendum est unctus, cum uerbum caro factum est: id est quando humana natura sine ullis præcedentibus bonorum ope-

rum meritis, deo uerbo est in utero uirginis concepta ut pariter diuina & humana natura una esset persona, & ob hoc cum confitemur natū de spiritu sancto & Maria uirgine.

Qui pertransiuit bene faciendo, & sanando omnes oppressos a diabolo, quā deus erat cum illo. Id est, pater cum filio semper manebat, mentus est intelligere, quam diuinitatem filij cum homine quem assumpsit, cohabitantem significaret, ut Christi personam geminaret, & in errorem maximum incideret. Sequitur:

Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem.] Recte autē se esse testes testantur, qui per uniuersum mundū missi sunt euangelium prædicare, ut in Psalmo legimus, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ uerba eorum. Deus & pater, per duas in Christo operatur naturas: per unam quæ ei communis est cū deo patre ex eo quod deus est, per alterā qua ex uirgine Maria homo factus est. per has duas naturas in uno filio dei, duas pariter facit resurrectiones humani generis, id est, animarum & corporum. Habent enim & animæ mortem suam, in impietate atque peccatis, secundam quam mortem mortui sunt, de quibus idem dominus ait: Sine mortuos sepelire mortuos suos, ut scilicet in anima mortui, in corpore mortuos sepelirent. Mors est uidelicet animæ, quando deus deserit eam ob peccatorum magnitudinem. Corporis mors est, quando ab anima deseritur. Ac his duobus mortis generibus resuscitados, duas dicimus resurrectiones. Nunc autem animarum in ec

Psal. 18.

clesia per filium dei (hoc est uerbum dei) sit resur-
 rectio, qñ p gratiã dei uiuificati, resurgunt a mor-
 te iniquitatis. Et hæc est prima resurrectio, quã qui
 habent, in secunda quæ est corporum, fideliter re-
 surgēt in uitã æternã. Resurgēt impij, unusquisq; Mat. 25.
 in carne sua, ut cū diabolo & angelis ei us puniantur.
 Hoc certissime sciendū est, qd nemo nisi per
 indebitã misericordiã dei liberabitur, & nisi p debi-
 tã iudiciũ damnabitur. Tunc sancti scient plenius,
 quid boni eis cõtulerit gratia dei, uel quid essent cõ-
 secuti, si diuina eos gratuito munere non elegisset
 misericordia. Tũc erit ipse deus sanctorũ societas,
 beatorum iucunditas, & omnia quæcunq; ab eis
 honeste desiderari possunt, & uita & salus & co-
 pia, gloria & honos & pax æterna, beatitudo &
 beata æternitas, cui sit honor & gloria nunc &
 semper & in secula seculorum, Amen.

FERIA SECUNDA PA
 schæ. Lucæ XXIII.



In illo tẽpore Duo
 ex discipulis Iesu ibãt
 ipsa die in castellum,
 qd erat in spatio stadi-
 orum sexaginta ab Ie-
 rusalem, noie Emaus.
 Et reliqua.

In exordio huius lecti-
 onis solet mouere nõ
 nullos ad quærendũ,
 qui nam isti duo discipu-

B li

li fuerint, qui ipsa die resurrectionis ab Ierusalem
 recedentes, ad castellum Emaus properauerint.
 Quod enim ex duodecim apostolis nō fuerint, in
 fine huius lectionis euangelista comprobat, cum
 dicit eos reuersos in Ierusalem, & inuenisse con-
 gregatos undecim. Vnde apparet eos ex septua-
 ginta fuisse discipulis, nō ex duodecim apostolis.
 Et unius nomen quidē infra declaratur, cui nomen
 Cleophas fuisse dicitur: alterum uero nonnulli pu-
 rant uocatum fuisse Emaus, sicut & castellum quo
 ibant: & ideo superfluum uisum fuisse euangelistæ,
 ut uno breui uersiculo unum nomen geminaret.
 Alij etiam arbitrantur hunc fuisse Lucam euange-
 listam, qui hoc scripsit euangelium, & humilitatis
 causa suum nomen siluisse. Consuetudo enim est
 sanctorum ut cum de se mira & magna loquuntur,
 propter custodiam humilitatis, sic de sua persona
 quasi de aliena loquantur, sicut, Moyses fecisse in-
 uenitur, qui sic de se quasi de alio loquebatur, dicens:
 Et erat Moyses uir mitissimus super omnes homi-
 nes, qui morabantur in terra. Similiter & beatus
 Iob de se, quasi de alio ait: Vir erat in terra Hus, no-
 mine Iob. Qui enim Lucam unum ex his duobus
 discipulis fuisse putant, secundum hoc exemplum
 suum nomen siluisse dicunt. Sed quilibet horū fue-
 rit, sciendum est quia de domini resurrectione du-
 bij ab Ierusalem recedebāt, quod non solum uer-
 bis, sed etiam factis ipsi demonstrant. Qui enim
 usque in tertiam diem in Ierusalem expectauerant,
 estimantes cum tertia de resurrecturum, sicut ipse
 promiserat, quia sponsonem non uiderant, dubi-
 tantes ab Ierusalem recedebant. Sed ignoscendū
 est eorum fragilitati, quoniam sicut dicit euange-

Job 21.

Nu. 24.

Iob. 2.

ista, nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Vnde bene spatium itineris, quo tendebant, eorum mentibus congruere uideatur. Sexaginta enim stadia ab Ierusalē usque Emaus numerantur. Stadium enim a stando dictum est, uel statuendo, eo quod munus aliquod in certo loco statueretur ad exercitationem currentium. Et quum apud ueteres stadiorum mensura diuersa habeatur, legitimi tamen stadij autorem Herculem tradunt, qui sub uno anhelitu centum uiginti quinque passus cucurrisset dicitur, ac per hoc (si recte computetur) sexaginta stadia septimum miliarium & dimidium complent. Et sex quidem ad bona opera pertinent, quia sex dies sunt in quibus licet operari: septem autem ad requiem animarum, quia septimo die requieuit deus ab omnibus operibus suis: octo ad resurrectionem, quia octauo die dominus resurrexit. Et per Salomonem dicitur: Da partes septem, nec non & octo. Ioh. 7
Eccles. 12

¶ Quasi enim discipuli isti sextum miliarium cum domino cucurrerant, quando eum in presentia uita in bonis operibus conuersantem uiderant. Quasi uero ad septimum miliarium peruenierant, quando illum in sepulchro collocatum didicerant. Verum octauum dimidium perfece-
rant, quia eum prius resurrecturum crediderant, sed de eius resurrectione dubij ab Ierusalem recedebant. Sed quanuis de domini resurrectione dubij ab Ierusalem recederent, ab eius tamen amore funditus non recesserant. Vnde & bene subditur:

Et ipsi loquebantur ad inuicē de his omnibus quae acciderant.

¶ Notandum autē, quia nō de superfluis, nō de u-

B iij

cuis, neq; ea quæ ad detractionem pertinent, neq;
 x̄sum mouentia loquebentur, sed ad inuicem de
 his omnibus quæ acciderant, scilicet qualiter cōuer-
 satus esset innocens & sine querela in mundo, qua-
 liter signa & miracula operatus sit, q̄modo odijs
 Iudæorum & calumnijs traditus sit ad crucifigen-
 dum, qualiter se resurrectorum prædixerat, quod
 nondū uidebant. Quia ergo hæc & huiusmodi de
 illo loquebantur, contigit ut etiam illū, quæ absen-
 tem putabant, corporaliter uiderent, & in his etiā
 ad literā suā promissionē dñs adimpleret, in qua
 dicit: Vbi fuerint duo uel tres congregati in noīe
 meo, ibi sum in medio eorum. Vnde & subditur:

Mat. 18

Et factum est, dum fabularētur & secum
 quærerēt, & ipse Iesus a propinquas ibat cū illis.]

Vbi notandum, quia iuxta mentis illorū quali-
 tatem, dñs suam formauit apparitionem. Illi enim
 in corde dominum amabāt, sed de eius resurrecti-
 ona dubitabant. Dominus autem eis in corpore
 apparebat, sed quis esset nō demonstrabat. Quia
 ergo amabant, uidebant. Quia uero de eius resurre-
 ctione dubitabant, eū quæ uidebant, non agnosce-
 bant. Sed quia ipsa dubitatio in illorū mentibus ex
 antiq; hostis insidijs nata fuerat, recte subiūgitur:

Oculi autem illorum tenebantur, ne eum
 agnoscerent. Tenebātur em̄ eorum oculi, siue ab
 ipsa dubitatione, siue ab antiq; hostis temeritate, ne
 eum quem uidebāt, cognoscere possent. Qui em̄
 propria uirgine a mortuis resurrexit, in q̄ specie
 uoluit, discipulis apparuit. Vnde bene alius euan-
 gelista dicit: Post hæc apparuit duobus ex illis
 in alia effigie. [Et ait ad illos. Qui sunt hi sermo

Mat. 16

nes, quos confertis ad inuicem ambulantes, & estis
tristes? Non ignorans dominus interrogauit qd
discipuli loquerentur, sed ex eorum locutione cor-
dis requisit confessionem, ut impleretur in illis
quod alibi dicit: Aut ex ore tuo iustificaberis, aut
ex ore tuo cōdēnaberis. ¶ Merito autē tristesambu-
labant, quos fides resurrectionis nondū iustificau-
erat. Nondum enim erat impletum in illis, quod
dominus repromiserat, dicens: Tristitia uestra uer-
tetur in gaudium: sed adhuc in illa sententia tene-
bantur, quę ait: Mūdus autem gaudebit, uos uero
tristabimini. Nā cui rei gratia tristes incederent,
unus eorum cui nomen Cleophas, ostendit: cū ait.

Matt. 22.

Ioh. 16.

Ibidem.

Tu solus peregrinus es in Ierusalem, & nō
cognouisti quę facta sunt in illa his diebus?

¶ Ac si diceret: Quomodo ex omnibus tu solus
remanere potuisti, ut ignorares ea, quę facta sunt
his diebus in Ierusalem, maxime autē, cum propter
magnitudinem suam nulli esse incognita possint?
Sed illud prætermittendum non est, quod in pere-
grini specie dominus post suam resurrectionem
discipulis apparere uoluit. Peregrinus enim erat il-
lis, a quorum mortalitate longe distabat. Siue cer-
te in peregrini specie apparuit, ut eorum mentes
ad misericordiā prouocaret, & eum quem deum
non sum cognoscebant, saltem ut peregrinū ama-
rēt. ¶ In peregrini specie quoq; apparuit, ut nos q
membra eius sumus, in hac uita peregrinos & ad-
uenas nos esse sentiamus. Peregrinus enim dictus
est, quasi pergens longius, siue peragrans aliena.
Quo nomine illi censentur qui a proprio solo ex-
pulsū, reditum cum gemitu suspirāt. Et nos quoq;

B v

qui paradisi gaudia amisimus, quandiu in hac uita sumus, in aliena patria consistimus. Vnde necesse est, ut quotidie cum gemitu ad propriam patriam redire festinemus, dicentes cū Apostolo: Dum sumus in corpore, peregrinamur a domino: quoniam non habemus hic manentem ciuitatem, sed futuram inquirimus. In hac peregrinatione se esse sentiebat Dauid, cum dicebat: Quonia adueni & peregrini sumus apud te, sicut omnes patres nostri.

2 Co. 5. Et iterum: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est, habitauit cū habitantibus Cedar, multum peregrinata est anima mea. Sed adhuc causas morroris dominus diligentius inquirat, dicens: [Quæ?] At illi unde tristes essent aperuerunt, dicentes:

De Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens in opere & sermone corā deo & omni populo.] Virum & prophetam testantur, & filium dei taceant: uel quia dubij de eius resurrectione ab Ierusalem recedebant, uel quia insidias Iudeorum meruebant. Iam enim conspirauerant Iudæi, ut si quis eum confiteretur palam, extra synagogam fieret. Quia ergo Iesus hebreo sermone, latine saluator dicitur, recte hoc nomine censetur, cuius resurrectio salutem credentibus contulit, sic uti ait apostolus Petrus: Non enim est in alio aliquo salus, neque aliud nomen sub celo datum est hominibus, in quo oporteat nos saluari. Quia uero Nazareus interpretatur sanctus, hoc nomen illi congruit qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. De quo scriptum est: Scitote quoniam immissa uit dñs sanctum suum. Et iterum: Non dabis sanctum tuum uidere corruptiōem. Bene

Act. 4.

Psal. 4.

Psal. 15.

autem a discipulis, licet quem uidebant ignorantibus, saluator uir appellatur. Vir namque a uiribus dictus est, & illi specialiter hoc nomen aptatur, qui solus diaboli uires resurgendo mortuis, apotuit confringere, de quo scriptum est: Ecce uir, oriens nomen eius. Discamus ergo & nos ab illo confortari, uiri esse, ut diaboli tentationibus fortiter resistamus, & cuncta a duersa uiriliter toleremus, sicut fecit ille cui dictum est: Accinge sicut uir lumbos tuos, & sicut fortis refringe luxuriam. Hinc & in laude Ioseph dictum est: Misit ante eos uirum. Hinc etiam Psalmista nos admonet, dicens: Viriliter agite, & confortetur cor uestrum, omnes qui speratis in domino. Sed licet de eius resurrectione dubium non ex toto discipuli errant, cum dominum prophetarum prophetam uocabant. Nam & ipse de seipso ait: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua. Et iterum: Non oportet prophetam occidi extra Ierusalem. Et in eius persona per Moysen dicitur: Prophetam uobis iuscitabit deus de fratribus uestris, tanquam me, ipsum audietis. Potens primum in opere, deinde in sermone dicitur: quia quod docuit uerbis, offendit exemplis, sicut scriptum est. Quia cepit Iesus facere & docere. Ordinata enim predicatio est, ut primum opere impleas, quod postea uerbis doceas, iuxta exemplum domini qui ait: Discite a me quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Bene quidem primum coram deo, deinde coram omni populo potens esse dicitur, ut in omni ope ante omnia deo placere studeamus. Non enim primum placendum est hominibus, sed primum placere debemus deo, deinde hominibus: non ob nostram gloriam, sed ut ipsi homines placeant deo, cui nos placere uiderint, iuxta quod do

Zacha. 6

Iob. 38,

Psal. 104

Psal. 30.

Mar. 13.

Lucæ. 13.

Deu. 18.

Actu. 1.

Matt. 23.

Matt. 5. minus nos admonet, dicēs: Luceat lux uestra corā
Rom. 12 hominibus, ut uideāt uestra bona opera, & glori-
1. Co. 10. ficēt patrē uestrū, qui in caelis est. Et Apostolus:
 Prouidentes bona nō tantū coram deo, sed etiam
 corā omnibus hominibus. Et iterū: Placete omni-
 bus, sicut & ego per omnia omnibus placeo, non
 quārens quod mihi est utile, sed quod multis, ut salui fiant.

Et quomodo tradiderunt eum summi sacer-
 dotes & principes nostri in damnationem
 mortis, & crucifixerunt eū. ¶ Hic illud discipuli
 commemorant, quod superius textus euāgelij de-
 clarat, qualiter scilicet a summis sacerdotibus pro-
 pter inuidiam traditus sit ad crucifigendū. Sed il-
 lud querendum est, quare dicāt eum a principibus
 sacerdotum traditum, cum legamus quod eum Iu-
 das tradiderit, dicēs: Quid uultis mihi dare, & ego
 uobis eū tradā. ¶ Sed ex hac questione iterū oritur
 alia questio, quomodo Iudas uel Iudæi eum tra-
 didisse dicātur, cum legamus quod pater eī tradi-
 derit, dicēte Apostolo: Proprio filio suo nō peper-
 cit deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Nā

Mat. 26. & ipse filius semetipm tradidit, sicut idem Aposto-
Ro. 8. lus alibi ait Qui dilexit me, & tradidit semetipm
Galat. 2. pro me. Et iterum: Ambulate in dilectione, sicut &
Eph. 5. Christus dilexit nos, & tradidit semetipm pro no-
 bis. S: ergo pater tradidit filiū, & filius semetipm,
 nunquid Iudæi & Iudas inculpabiles sunt, si hoc
 fecerunt quod pater & filius? Non, sed uno traditi-
 onis uerbo, diuersæ uoluntates expresse sunt. Tra-
 didit eū Iudas propter auariciam: tradiderunt eū
 Iudæi, sed propter inuidiam: tradidisse eū dicitur
 Pilatus, cum eum crucifigi permisit: tradidit eum

pater, sed propter nostram liberationē tradidit se
 metipsum filius, sed propter nostram dilectionē.
 Ergo pater & filius nō solum sunt amādi, sed eti-
 am glorificandi. Iudas autē & Iudæi non solū dete-
 standi, sed etiam condēnandi: quia quod pater &
 filius fecerunt charitate, illi cupiditate fecerunt.
 Quod autē dubitantes ab Ierusalem isti discipuli
 recederunt, suis uerbis aperuerunt, cum dixerūt:

Nos autem sperabamus q̄ ipse esset redē-
 pturus israel.] Sperabamus quippe, præteriti im-
 perfecti tēporis uerbū est. Et qui non speramus,
 sed sperabamus dixerunt, de eius resurrectione du-
 bitare se ostederunt. Minus c̄m spiritus sancti gra-
 tia instructi, sperauere quod resurgens a mortuis
 saluator, redēptur⁹ esset israel, id est, regnum Isra-
 el corporaliter multo nobilius q̄ quondā Dauid
 regeret, reparaturus. Hac suspicione p̄moti fue-
 rant illi duo, q̄ suaserunt matri, ut peteret ab eo
 dicēs: Dñe, dic ut sedeant hī duo filij mei, unus ad
 dexteram tuam, & alter ad sinistram tuam, in re-
 gno tuo. Hac etiam dubitatione tenebātur illi, qui
 post resurrectionem interrogabāt eum, dicentes:
 Dñe, si in tempore hoc restitues regnum israel?

Mat. 20.

Et nunc super hæc omnia, tertia dies est ho-
 die q̄ hæc facta sunt. Sed & mulieres quæ-
 dam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fu-
 erunt ad monumentum: & nō inuento corpore ei-
 us uenerunt dicentes se etiā uisionem angelorū ut
 d̄ se, qui dicunt eum uiuere. Et abierunt quidam
 ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sic
 ut mulieres dixerunt, ipsum uero nō inuenerūt.]
 Quod discipuli cōmemorāt breuiter, superior te

Actu. i.

xtus euangelij narrat sufficienter, scilicet quomodo mulieres que secute dominum fuerant a Galilea, cum sparratis aromatibus ad monumentum uenerunt, & responso ab angelo accepto de eius resurrectione, discipulis nunciauerunt. Tunc quoque duo ex illis, Petrus & Iohannes scilicet, cucurrerunt ad monumentum, & inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum uero non inuenerunt.

Et ait ad illos: **O**stulti & tardi corde ad credendum in omnibus que locuti sunt prophetae. **I**

¶ Merito non solum discipulorum stultitia redarguitur, sed etiam tarditas increpatur, quia cum omnia in domini doctrina, in miraculis, in passione, sicut de illo prophetae praedixerant, completa cernerent, de eius resurrectione dubitare non debuerant: & maxime, cum omnia que in eo uentura erant, antequam pateretur, ab ipso domino prius praedicta recolerent. Et non solum illorum, uerum etiam & nostra ignauia atque tepiditas redarguitur, quia nec praecleara discere uolentes, nec ea que discimus, ope implere satagimus. & ideo ad discendum tardi, & ad opus pigri inuenimur. Quibus recte dicitur:

Nonne haec oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? **¶** Quod interrogatiue legendum est, ut subaudiatur, oportuit. Oportuit enim Christum pati, non pro se, sed pro nobis. Dicitur autem intrare in gloriam suam, a qua nunquam discessit, eo quod nos intrare fecerit, qui longe per peccatum ab illa expulsi fuimus. Sicut enim uidere & confiteri dicitur, eo quod nos aliquid uidere & confiteri faciat, ita quoque in gloriam suam dicitur intrare per passionem, Igitur dominus in gloriam suam

Intrauit, ostendens nos per multas tribulationes intrare debere in regnū dei. Tūc em̄ caput nostrum, q̄ est Christus, membra sua diligit, ut frequenter ipse agere dicatur, ad quod faciendum nos idoneos efficit. Sed quia ad intelligendum scripturā stulti & tardi erant, post increpationem piam dñs adiungit expositionem. Vnde & subditur:

Incipiens a Moyse & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erāt. ¶ Interpretabatur in oibus scripturis, maxime ea q̄ ad passionē ptinebant & resurrectionem, ut omnem dubitationem ab eorū mentibus auferret, & ad credendum resurrectionem animos eorū cōfirmaret, quale est illud: Foderunt manus meas & pedes meos, & Diuiserunt sibi uestimenta mea, & sup uestem meā miserunt sortē. Et, Insurrexerunt in me testes iniq̄, & cætera talia. ¶ Sed forte mouet aliquem, quare dominus cū interpretabatur scripturas discipulis, a Moyse cepisse dicatur, cū plures añ Moysen fuisse legamus, qui & uerbis & exemplis eius passionem & resurrectionem prophetauerint. Quid em̄ mors Abel nisi passionem Christi significauit: Sicut em̄ ipse a fratre iniuste occisus est, ita quoq̄ & dominus innocenter a Iudæis occisus est. Quid enim p̄ translationē Enoch, nisi ascētio dñi significatur? Quid per Noe, q̄ arcā in diluuiō rexit, nisi dominus intelligitur, qui caput est ecclesiæ? Et quid per Abrahāam, qui filium immolauit, nisi deus pater accipitur, qui p̄ proprio filio suo non pepercit? Sic quoq̄ immolatio Isaac, passiōis Christi typū tenuit. Nā & Iacob pastor quū dominū nostrū Iesum Chri-

Psal. 22.

Psal. 26.

Gen. 4.

Gen. 5.

Gen. 7.

Gen. 22.

Gen. 50.

Ioha. 10 sum significat, qui ait in euangelio: Ego sum pastor bonus. Similiter uenditio Ioseph, uenditione prefigurauit Christi. Sed forte mouet aliquē, ut diximus, quare dñs cum interpretabatur scripturas discipulis, a Moyse cœpisse dicatur, cū plures patres ante Moysen fuisse legamus, qui & uerbis & exēplis eius passionem ac resurrectionem prophetauerint. Sed ad hoc dicendum est, quia licet ante Moysen plures patres fuerint, tamen eorū actionem Moyse scribente cognouimus, quem uerae historiae scriptorem primum fuisse non dubitamus. A quo libro ergo illorū dominus scripturas interpretari cœpit? A Moyse cœpit, quia illorum actiōes (ut diximus) primus Moyses scripsit. Inde enim scripsit homo, quādo non erat homo.

Et appropinquauerunt castello quo ibāt, & ipse se finxit lōgus ire. Cū fingere soleat esse hypocritarum, quid est quod dñs se finxisse dicitur? Ad quod rationalis patet responsio, quia non semper fingere simulare dicimus, sed aliquando etiam componere. Unde & compositores luti, fingulos uocamus, & eos qui carmina dicunt, fictores, id est, cōpositores carminum. Quibus exemplis discimus, quia simplex ueritas nihil per dupliciorem agit, sed talem se coram discipulorum oculis composuit uel exhibuit, ut manifestum fieret, si discipuli eum, quem deum cognoscebāt, saltem ut peregrinum diligerent. Sed absit ut eos a charitatis uisceribus alienos esse credamus, qui cū autore misericordiae gradiebantur. Nam subditur:

Et coegerunt illum, dicētes: Mane nobiscū, quoniam ad uespera scit, & inclinata est iam dies.]

¶ Quorum exemplo discimus, quia peregrini & hospites non solum cum adsunt, recipiendi sunt, sed etiam cum desunt, uocandi atque cogendi. Nam quantum hospitalitatis uirtus ualeat, & ipse comprobatur, qui se in iudicio fidelibus dicturum reprobavit: Hospes fui, & collegistis me. Et quandiu fecistis uni de minoribus meis, mihi fecistis. Quod etiam in opere Abrahæ & Loth discimus, qui frequenter hospites suscipiendo, aliquando angelos susceperunt. Vnde nos Apostolus admonet, dicens: Charitas fraternitatis maneat in uobis, & hospitalitatem nolite obliuisci. Per hanc enim placuerunt quidam angelis hospitio susceptis. Hinc & Petrus apostolus nos hortatur, dicens. Hospitales inuicem, sine murmuratione. Hinc etiam beatus Iob de seipso testatur, inquit: Foris non mansit peregrinus, ostium meum uiatori patuit.

Mat. 25.

Heb. 13.
Gen. 19.

1. Pet. 4.

Iob. 31.

Et intrauit cum illis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, & cognouerunt illum. ¶ Quia fides sine operibus mortua est, hinc cognoscere possumus, quia deum, quem discipuli nec ex uisione, nec ex scripturarum interpretatione cognouerant, mox ut opere, quod scripturae precipiunt, profecerunt, [cognouerunt eum in fractione panis.] Quoniam sicut Apostolus ait, Non auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur. Et sicut dominus dicit: Beati qui audiunt uerbum dei, & custodiunt illud. Nos quoque pro modulo nostro in fractione panis dominum cognoscimus, si mundo corde & casto corpore mysterium corporis & sanguinis eius

Rom. 2.

Luc. 11.

C

cum digna reuerentia sumimus.

Et ipse euauit ab oculis eorum. Et dixerunt adinuicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dū loqueretur in uia, & aperiret nobis scripturas? ¶ Quia sicut ait Apostolus, Deus noster ignis cōsumēs est. Postquam dñs ab oculis discipulorum euauit, quo ardore in uia eius locutione accensi sint, declarant, dicentes: [Nonne cor nostrum ardens erat in nobis de Iesu, dū loqueretur in uia? &c. Illo cō igne succensi fuerāt, de quo dñs ait: Ignem ueni mittere in terram, & qd uolo nisi ut ardeat? Hoc igne accensum se nouerat, qd dicebat: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Sed quia om̄is qui deo docente bonum discit per charitatis mysteriū, alijs annunciare debet, probāt hoc isti discipuli, de quibus subditur:

Et surgentes, eadem hora regressi sunt in Ierusalem.] Non enim fatigatione itineris prohibiti sunt, non uespertine horæ impedimentū timerunt, sed eadē hora surgentes, regressi sunt in Ierusalem nūciare apostolis, quod de dñi resurrectione in uia compererāt. Unde bene subiūgitur:

Et inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum ipsis erant, dicentes quod surrexit dominus uere, & apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quæ gesta erant in uia, & quomodo cognouerunt eum in fractione panis.] Quod si ubi uel quando factum sit, euangelista nō declarat, tamen quia factū sit nō tacet, dicens: [quia surrexit dñs uere, & apparuit Simoni.] Id ē, Petro, teste Apostolo qui ait: Quia uisus est Cephæ, & post hæc un-

1. Co. 15.

Decim. Primum enim omnium uirorum, Petro apparuisse dominum post resurrectionem creditur, non solum aut apostolatus eius ordinem consolidaret, sed etiam ueritatem eius quae in passione titubauerat, reformaret.

FERIA TERTIA PASCHAE. Actuum XIII.

In diebus illis surgens Paulus, & manu silentium indicens, ait Viri Fratres, filij generis Abraam, & qui in uobis timent deum. Et reliqua.

OMnibus quibus ista loquebatur Apostolus, secundum carnem filij Abrae erant, sicut & ipsi de seipsis in alio loco dixerunt: Semen Abrae sumus, & nulli seruiimus unquam. Et iterum: Pater noster Abraam est. Et dominus illis: Scio quia filij Abrae estis. Imitatione enim non filij Abrae erant illi, quibus dominus loquebatur: Vox ex patre diabolo estis. Inde ergo Iudaei filij diaboli, non nascendo, sed imitando. Vos (inquit dominus) ex patre diabolo estis, & desideria patris uestri facere uultis. Ecce unde filij diaboli. Quae sunt illius desideria? Ille homicida erat ab initio, & uos queritis me occidere. Ecce quomodo imitatione filij diaboli. Nam & filij erant Abrae, propter originem carnis, quibus ista Apostolus loquebatur, & filij imitationis, propter castitatem timoris, quibus specialiter dicebat: Et qui in uobis timent deum, uobis uerbum salutis huius missum est, quod illud utique de quo Isaias ait: Verbum misit dominus in Iacob, & cecidit in Israel, id est, misit deus filium suum, de quo

Ioh. 8.

Ibid.

Ibid.

Isaia. 9.